aperit denegat ut cernat quod erubescat aspicere; iuxta tropologiam
inpudentiam frontis eorum qui nolunt sua uitia confiteri operibus arguamus;
huiuscemodi enim homines non ambulant in arta et in angusta uia quae ducit
ad uitam sed in lata et spatiosa per quam ingrediuntur plurimi quae ducit ad
mortem; unde et significanter ΠΟΛΥΑΝΔΡΙΟΝ nominata est siue iuxta
historiam quod ibi interfecta et perdita sit idololatriae malo ~~latriae malo~~ populi
multitudo; Cursor leuis explicans uias suas. onager adsuetus solitudine in desi
derio animae suae adtraxit uentum amoris sui nullus auertet eam; omnes qui quae
runt eam non deficient in menstruis eius inuenient eam; LXX ad uesperam uox eius
ululauit uias suas dilatauit super aquas solitudinis; in desiderio animae suae spiritu por
tabatur tradita est quis conuertet eam omnes qui quaerunt illam non laborabunt in
humilitate illius repperient eam; Multum in hoc loco septuaginta editio ab hebraica
ueritate discordat tamen utraque habet sensum suum; quia supra dixit non solum
polluta et quasi ad mulierem quae turpiter se gesserat loquebatur describit forni
cationem eius; quomodo inquit capreola leuis quam nos genere communi cursorem
diximus significantius quod Aquila Symmachus et Theodotio uertere ΔΡΟΜΑΔΑ ΚΟΥΦΗΝ
explicat uias suas et uelox fertur ad pabula et sicut onager adsuetus in solitudine
trahit in desiderio animae suae uentum id est spiritum amoris sui. uno enim apud hebraeos
nomine rhuh et uentus appellatur et spiritus sic et israhel siue hierusalem toto impetu
ad desiderium libidinis ferebatur et omni idolorum amore feruebat; nullusque est
qui eam suis possit monitis ab hoc impetu auertere non quo inpossibilitas hoc fecerit
prophetarum sed malitia perseuerantis; quicumque eam adquaesierint non
magnopere laborabunt in menstruis et in inmunditia eius inuenient eam; pro quo
aquila ΝΕΟΜΗΝΙΑΝ hoc est calendas Symmachus mensem; LXX et Theodotio humili

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc417/0030